



## PARS TERTIA

*De his , quæ Parochum  
perficiunt in ordine ad  
DEUM.*

### CAPUT I.

*De functionibus Ecclesiasticis ac-  
curatè & exactè Parocho  
obeundis.*

**I**N omnibus operibus præcellens  
Lectio Eccli. 32. Munia & fun-  
ctiones Parochi sunt recitare  
Breviarium, offerre Sacrificium,  
concionari, catechizare, visi-  
tare infirmos, corrigere pec-  
cantes, Sacramenta admini-  
strare

strare &c. Quæ omnia non obiter, perfunctoriè, & levi ut ajunt brachio, sed exactè, alacriter, accuratè, & cum singulari industriâ obire debet, *Primò* quia sunt actiones & ritus ad cultum summo DEO deferendum instituti, & proprium quodammodo illius opus, de quo *Jerem. 48. maledictus qui facit opus DEI fraudulenter*, sive ut alij legunt, *negligenter. Secundo* quia accurata ejusmodi & exacta rerum sacrarum tractatio plurimam illis coram adstantibus confert authoritatem & æstimationem: sicut econtra lurida & perfunctoria earum administratio apud vulgus vilescere illas facit & contemni:


quam enim æstimationem concipere poterit indoctum vulgus de rebus sacris, si viderit eas vilipendi ab his, quos putat æquos esse rerum æstimatores.

Porrò modus dictas functiones accuratè & ad amussim obeundi est, primus ut Parochus antequam illas aggrediatur, prius apud se per brevem moram consideret, quam rem tractare velit, quæ illius dignitas, sanctitas, necessitas, utilitas &c. Secundus, ut omnes & singulas Cæremonias pro qualibet functione in Rituali præscriptas exactè semper observet, nullum ritum impertinentem addat, neque aliquem præscriptum omit-

tat.

rat. Quod quidem ut certiùs fiat, prævidendus erit semper liber Ritualis, si temporis ratio & necessitas permittat, antequam Parochus functionem aliquam obire incipiat. Tertius modus est, ut omnes Corporis gestus ad modestiam & gravitatem componat; risum, confabulationem, oculorum evagationem & cæteras levitates; devitet considerans suam quam in tali functione sustinet personam: est enim constitutus publicus Ecclesiæ Minister, Mysteriorum DEI dispensator, pro Christo legatione fungens, nec non Mediator DEUM inter & homines. Quartus est, ut singula verba non tantùm formæ, sed etiam reliquarum

precum ab Ecclesia in sacris functionibus praescriptarum clarè, distinctè, graviter & cum affectu quodam pietatis ac sensu devotionis ex libro recitet. Quintus denique modus est, ut peractâ qualibet functione sacrâ supra illam se reflectat & examinet, num error aliquis circa illam admissus? in quo? unde acciderit? & quomodo deinceps corrigendus?



CA-